

quod totum non foret majus sua parte.

esset multitudo infinita actualiter existens : atqui repugnat multitudinem infinitam actu existere : ergo &c. Major constat ex dictis hætenus ; quia multitudo illa rerum possibilium actu existens intra nullam comprehenderetur speciem numeri designabilem. Probatur minor. Repugnat partem esse æqualem toti , cujus est pars ; atqui hæc repugnancia reperitur in multitudine infinita actualiter existente : ergo &c. Minor iterum probatur præsupponendo veluti notum ex Arithmetica omnem multitudinem numeralem non consurgere , nisi ex numeris aut quadratis aut non quadratis , id est , aut genitis ex multiplicatione alterius numeri per se ipsum , qui dicitur radix , aut non sic genitis ; quo pacto numerus 9. est quadratus , quia provenit ex numero 3. per se ipsum multiplicato ; at verò numerus 10. non est quadratus : quia nullus est alter numerus , qui in se ipsum multiplicatus efficiat 10. Deinde verò observare potes in multitudine quacunq; assignata plures esse non quadratos , quàm quadratos ; nam in centenaria non sunt nisi decem quadrati & sic de aliis.

XVI.

Et recurrunt ad numeros quadratos & non quadratos

His itaque præsuppositis Argumentum sic construatur. Multitudo illa infinita actualis constaret ex numeris quadratis , & non quadratis tanquam ex partibus : at soli quadrati , quamvis valde pauciores non quadratis , totam illam multitudinem adæquarent : nam nullus est intelligibilis quadratus , qui non habeat suam radicem , sicut nulla est intelligibilis radix , quæ non habeat suum quadratum , ex quo capite tot sunt quadrati , quot radices. Deinde nullus est intelligibilis numerus , qui non sit multiplicabilis per se ipsum , ac proinde qui non sit radix alicujus quadrati ; ex quo capite tot sunt radices quot numeri , unde hæc consurgit evidens demonstratio. Tot sunt radices quot numeri : atqui tot sunt quadrati quot radices : ergo tot sunt quadrati quot numeri : & nihilominus quadrati non sunt nisi una pars , & pars quidem minor multitudinis infinitæ totius : ergo pars est æqualis toti , cujus est pars. Quia verò hæc repugnancia infertur ex multitudine actuali infinita , sequitur hanc multitudinem repugnare , ac proinde rerum possibilium collectionem , quæ componeret multitudinem infinitam.

XVII.

Item recurrent ad notionem infiniti à nobis traditam.

Adde quod multitudo illa actualis infinita consurgeret ex multitudinibus infinitis infinitis repetitis : atqui rursus ex hoc sequeretur partem esse æqualem toti , cujus est pars : ergo &c. Major constat ex natura infiniti jam sæpius explicata. Minor verò probatur , quia etiam de singulis istis multitudinibus infinitis asserti potest , quod componantur ex aliis infinitis etiam infinitis repetitis ; alioquin non essent infinitæ , vel tota collectio posset esse infinita , etiam si